




Georg Friedrich Vogelbusch

Dissertatio inauguralis medica de Abortu

Rostochii: Literis Adlerianis, 1817

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007507489>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext



1848

...

...

...


...

...

Dissertatio inauguralis medica

de

A b o r t u.



Quam

Consentiente Illustri Ordine Medico

in

academia Rostochiensi

pro

summis in utraque medicina honoribus

eruditorum examini

offert

Georgius Fridericus Vogelbusch

Hamburgensis.



Rostochii 1817.

Literis Adlerianis.

A B O I M

Quam

Consentiente Illustri Ordine Medico



Georgius Fredericus Vogelbusch

Hilberstadt

Altitudo est locus nonnulla tantum et

ante destinationem omnino formae exclusio

quibus tantummodo dicitur, qui vitam conser-

uat, et de hoc, et de Postobornensi

Litteris Adversariis

Die Abortu.

Synon: Aborsus, Abortio; εκτραμα, εκβολον, Eurip. αμβλυμα Hippocr. εξαμβλωμα, Aristotel. — *Batav.* Misval, Misdragt, Misbaaring, Miskraam. — *Gall.* Avortement, fausse couche. — *Angl.* An untimely birth, an abortion. — *German.* Eine unzeitige Geburt; Mißgebühren: Mißfall; Fehlgeburt; Umschlag.

§. 1.

Abortus est foetus nondum maturi et ante destinatum partus tempus exclusio. Foetus *immaturus* dicitur, qui vitam continuare ob defectum sufficientis evolutionis non

potest a). Alii ovula ante secundum mensem exclusa abortus non esse contendunt, cum ejusmodi ovuli exclusio absque magna adhuc molestia, et absque pariendi magno labore contingat, et exclusi nondum sit ea evolutio, ut foetum distincte cognoscas. Alii discrimen inter abortum et *partum praematurum*, i. e. inter septimum et nonum mensem editum, statuunt. Sed stricte loquendo abortus et in primo impraegnationis exordio contingere potest, et generaliori sensu omnes sunt abortus, quofquot ante finem noni mensis in lucem prodeunt.

Nonnulli Aborsum, qui primis mensibus contingit, ab Abortu; qui mediis, et a partu praematuru, qui ultimis graviditatis mensibus accidit, exactius distinguunt b).

a) G. C. Baumgärtner de partus vivi et vitalis differentiis. Altona 1747.

b) *Blancardi* lexicon medicum tripartitum, renovatum. Edit. *Isenflammii*. Vol. I. p. 1.

§. 2.

Interim fere omnes obstetricii et medico-forenses auctores novi temporis, abortum s. partum immaturum (unzeitige Geburt) a partu praematurum (frühzeitige Geburt) distinguunt. Discrimen inter abortum et partum praematurum est hoc, quod foetus abortu editus, vivus quidem, nondum tamen ad eam structuram totius corporis *απονή* pervenerit, ut in aere nostro durare et crassiore jam nutrimento corporis sui incrementum recte prosequi, imo absolvere et exsequi possit, quin certissime periculum vitae insuperabile hac ratione ipsi obijciatur.

Foetus autem praematurus *vitalis* dicitur, s. potens vitam protrahendi, scilicet sub conditione, si accedant requisitae cautelae et diligentia peculiaris. *Fried. Hoffmannus* asseverat, sese aliquot novisse exempla, ubi editi fuerant infantes, septimanis adhuc quinque vel sex deficientibus, imbecilliores quidem, sed qui conveniente per calorem

somnum, quietem et tenerius alimentum regimine, non modo ad debitum robur, et perfectionem, sed etiam ad longam pervenire vitam c).

Attamen feminas existere, quae foetum maturum ac perfectum septimo mense finito expellunt, satis notum est; licet partus maturi ordinarie incidant inter trigesimam octavam et quadragesimam septimanam.

Partus seriores, *serotini* sic dicti, undecimestres, duodecimestres, tredecimestres et s. p. cum Illustr. *Brendelio d)*, *Metzgero e)*

c) Medic. rat. system. T. IV. P. IV. p. 525. §. 2.

Cf. *Buchholz* Beiträge zur gerichtl. Arzneygelahrtheit. B. II. p. 104. et *Kopp* Jahrb. der Staatsarzneik. Jahrg. III. p. 128.

d) Medic. legal. Ed. *Meyeri*. Hannoveræ 1789. 113.

e) System der gerichtl. Arzneyw. Ausg. von *Gruner* p. 313.

aliisque suspectos habemus et fraudulentos f).

§. 3.

Distinctio, quoad functiones et signa externa inter foetum maturum et abortum est sequens:

1. Pondus *foetus maturi* est a libris quinque ad decem, pro ratione magnitudinis parentum vel ipsius nationis; (rarissime duodecim, tredecim, quatuordecim libras g), apud nos foetus maturus pondere exaequat;) longitudo a 15 pollicibus ad 21 h); color

f) Ueber früh- und spät-reife Geburten. Mannheim 1807. *Kopp's* Jahrbuch I. p. 448. IV. *Josephi* Lehrbuch der Hebammenkunst. Edit. alter.

g) *Mauriceau* des maladies des femmes grosses Edit. 4. p. 85. *Schlegel* et *Arnemann* nêve medicinsche Literatur B. I. St. 2. p. 141. *Stark's* Archiv B. III. St. 2. *Osiander's* Denkwürdigkeiten B. I. St. 2. p. 375.

h) *Röderer* de pondere et longitudine infan-

corporis dilute rubescens, plantae pedum et volae manuum purpurascunt; corpore pingiculo, decenter proportionato et ad tactum solidiusculo, unguibus durioribus, praelongis et rubentibus, nec non capillis crassis et obscuri coloris gaudet; fontanella minus est ampla; oculos statim attollit, circumfert; vox elata et vagitus fortes („es beschreitet die vier Wände“) *i*); mammas apprehendere et se libere movere, si praeternaturale quid non impediatur, aptus est *k*).

tum recens natorum. in Comment. Soc. Reg. Götting. 1750. III. p. 410.

i) *M. Cloxen* de primo infantis vagitu. Argent. 1706.

k) *Danz* Grundriß der Zergliederungskunde des neugebornen Kindes, 2 Bände. Francf. u. Leipz. 1792. 93. *Rödcrer* de foetu perfecto. Argent. 1750. *Wrisberg* observ. de testicular. ex abdomine in scrotum descensa. §. 10.

2. *Immaturum foetum* esse confirmatur, si tota cutis rubet vel livida est, pilisque destituitur; si ipse foetus, proportionem matris, justo minor (infra quatuordecim pollices), fontanella vero justo major est; macilentus, rugosus, senili facie; membra attenuata, macra, aures diaphanae et lingua praerubra; ungues breves, vix lineam longi, extremum articulum non penitus tegentes, purpurascens; os majus, minus prominens, occlusum; palpebrae arctius connivent, et quasi conglutinantur. Immaturus foetus dormit perpetuo ferme, nullum nisi perobscurum vagitum edit; extrema frigent ob vim vitae admodum debilem, nec minimum frigidioris aeris contactum impune fert; praeterea immaturus masculus, testiculos habet, vel in abdomine adhuc reconditos, vel haerentes in inguine, maturus vero in scroto, rarius in abdomine aut inguinibus *l*).

l) *Hilscher* partus praecocis et abortus theoria.



§. 4.

Abortus, nisi a causis exquisitè violentissimis, nunquam eadem facilitate continget, qua illis septimanis, imò diebus, quibus alias in gravida menstruæ evacuationis periodus sese commovere consuevit *m*). Quod quidem tantò magis valet in ejusmodi feminis, quæ has excretionès magis exquisitè stas experiri consueverunt.

Eo magis autem consideratu dignum est illud, quod abortus talis subinde recrudescens tanto exquisitius dehinc servare solet tempus illud, quo prima vice emicuit, idque tanto certius, quo magis prima illa vice menstruo alicui tempori pressius sese accommodavit. Ita enim inter alios non absimiles casus, observavit Illustr. *Stahl* in

Jen. 1727. *Löffler's* vermischte Aufsätze und Beobachtungen 1801. p. 30 seq.

m) *Berstein* praktisches Handbuch der Geburtshülfe B. I. g. 5.

illustrissima quadam Domina, quae *quinquies* deinceps abortum passa est, quod singulis hisce mali hujus recrudescentis vicibus abortus stato quodam ordine non solum inciderit in tertii mensis ultimam septimanam, sed perpetuo velut ordine initium fecerit a tacita prorsus atque mitissima sanguinis eruptione, mensium consuetae evacuationi ad amussim respondente, quae postquam per sex dies ita plane tranquillissime et accuratissime continuavit, coorta est septimo die vehemens omnino sanguinis effusio cum maxima debilitate, et animi prius, quam virium dejectione, succedentibus ad extremum, imprimis penultima et ultima vice, syncopticis deliquiis et vitae periculis: quae symptomata per tres ad quatuor horas ita continuata tandem eliso abortu omnia pacatiora fiebant. In alio exemplo observavit post integrum annum, nempe novem ad minimum mensibus post priorem abortum facta nova conceptione, excussionem hujus non aliter quam prima vice, circa quarti



mensis finem parimodo evenisse. Item alia Juvencula, quae nunquam adhuc pepererat, sed in matrimonio, ab 18 circiter mensibus contracto, jam bis secunda mense a conceptione abortum passa erat, tertia vice per idem tempus incipiebat sensationes priores pari tempore iterum persentiscere: ubi tamen tempestive adhibitis efficacibus remediis praeservata est a simili eventu, et felicit gestationis atque partus compos facta est a).

§. 5.

Plerumque fit abortus inter secundum et tertium et quartum, rarius inter quintum et sextum praegnationis mensem. Nonnunquam porro, sed rarissime, contingit, ut circa septimum mensem a violentia externa placentae ab utero fiat avulsio, quam larga san-

a) *Alb. Halleri Disput. ad morbor. histor. et curationem facientes. T. IV. 1788. p. 609.*

guinis ex utero profusio sequitur, sub qua infans moritur, et nisi naturae robore cito expellatur, ipsa mater in summo vitae versatur periculo *b*).

§. 6. Prodomi abortus et maturi partus magna ex parte sunt idem. Huc pertinent:

1. Horripilatio et partium extremarum refrigeratio.
2. Languor sensusque ponderis in artubus.
3. Dolor pressorius in lumbis, qui sese extendit ad imum ventrem, postea ad os sacrum, coxendicem et inguina descendit, cum pulsu arteriarum auctiori.

b) *Froriep* theoret. pr. Handb. der Geburtshülfe. Weimar 1804. §. 281. *Steinmetz* de Abortu. Jen. 1788. p. 9.

4. Contractiones uteri dolorosae, doloribus ad partum veris haud dissimiles *c*).

5. Os uteri fit humidum, mollius et relaxatur, et evacuatio aquae instar loturae carniū procedit.

6. Speciatim vero in abortu ante expulsionem foetus sanguinis puri cum grumis sat larga copia cum summa debilitate et frequentius animi deliquio ejicitur *d*).

§. 7.

Expulsioni foetus ipsi praecedit ut plurimum subitaneus corporis rigor et horror cum lassitudine, inappetentia, nausea, cordis palpitatione, lumborum dolore, circa pubem gravabilis dolor atque in partibus genitalibus frigus. Quo grandior autem et

c) *Stork* mediz. prakt. Untersuchungen T. II. p. 159.

d) *Bernstein* i. c. p. 7. *Froriep* l. c. §. 285.
Hamilton über Hebammenkunst. p. 89.

adultior est embryo, eo acerbiores spasmi, dolores ac majora symptomata non sine periculo observantur.

Ovuli expulsio fit per vires naturae, et quidem primis tribus mensibus ovulum fere semper illaesum excluditur; post hoc tempus velamenta ovi (membrana nempe decidua, reflexa et chorion) e) lacerantur, tunc foetus plerumque sine molestiis expellitur.

§. 8.

Abortus saepe absque matris culpa fit, interdum vero studio procuratur, tuncque res ad iudicem defertur. Praematura foetus imperfecti modo quocumque procurata exclusio *aborticidium* et in iure criminali *procuratio abortus* audit, omnia simul illa, quae eum promoveri apta sunt, *abortiva* dicuntur.

e) *Hunter* Anatomia uteri gravidi T. 5. 10.
26. 34. *Burns* the anatomy etc. p. 202.

Multae hodiernum matres sunt apud quas abortus procuratio impunis esse solet, atque multum usitata. Ultimis reipublicae Romanae temporibus, et magis sub primis Romanorum imperatoribus, vigente paganismo, matronae abortum solebant procurare, ne incommoda diuturnioris graviditatis, partus et educationis subire cogentur f).

§. 9.

Causae abortus sunt vel in matre vel in foetu, et tam antecedentes, quam procatarticae. In eo genere sunt omnes causae, quae placentam ab utero solvunt.

Ad *antecedentes* causas apprime pertinet haereditaria quaedam constitutio, qua fit, ut quo mense, quave gestatione matres abor-

f) J. P. Frank System der mediz. Polizey. B. II. J. 59. Journal de Medicine 1776. Pallas Reisen II Thl. S. 56. Morgenländische Reisen S. 87. Lettres Persannes Vol. II. p. 188.

riant. Facile etiam abortiunt tenellae g) graciles, rheumaticae, nimis histericae haemorrhoidum variis malis obnoxiae h). Sic lumbago, haemorrhoides coecae, fluor albus, non postremum abortus periculum habent. Haud raro etiam matres abortiunt, quae post impraegnationem uterum sic gestant, ut quum diu nimis graciles manserint, abdomen deinde celerius intumescat. Pro-
nae etiam in abortum sunt, quae profusa menstrua habent, et quibus menstrua in primis graviditatis mensibus denuo fluunt, cum per unam alteramque periodum ces-
sarint.

Ipsa denique tempestatum vitiosa constitutio ad abortum disponere et hunc epidemicum reddere valet; quod jam ab Hippocrate i) de hyeme australi, pluviali, vere sicco et aquilonali, observatum est.

g) Aphorism. Hipp Sect. V. Aphor. 44.

h) Fr. Hoffmanni med. rat. synt. T. IV. p. 3.

i) Sect. III. Aphor. 12.

§. 10. *Causae abortus procatacticae* imprimis sunt sequentes:

1. Omnes morbi acuti, asthenici sic dicti, multo minus morbi chronici *k*).

2. Nimia sanguinis abundantia, quam plethoram veram vocant, frequentissima abortuum causa est.

3. Vehementiores animi affectus, praesertim gravis iracundia atque terror, imprimis si haec graviora pathemata invicem jungantur et unum alterum excipiat, maxime eo tempore, quo menses olim fluere consueverant.

4. Motus corporis vehementes.

5. Venaesectiones saepe repetitae vel validae, medicamenta drastica, e. g. fortiora purgantia, aloetica, scammonium, resina

k) *Froriep* 1. c. §. 282.

Jalappae, colocyntides; diuretica, maxime
 cantharides, oleum Succini, rad. Silicis etc.
 porro remedia sic dicta abortiva 1) mentha
 pulegium, juniperus sabina, laurus nobilis,
 aristolochia longa et rotunda, artemisia vul-
 garis, artemisia abrotanum, marrubium
 album, teucrium chamaedrys, rosmarinus
 sylvestris s. ledum palustre, secale cereatum,
 crocus sativus etc.

6. Vehementiora emetica, siquidem sub
 ipso diuturniori ac violento vomitu saepe
 fiunt abortiones.

7. Tussis ferina ac convulsiva, nec non
 omnes convulsivi ac epileptici morbi.

8. Sarcomata uteri, molae; aliquando
 etiam uteri peculiaria, nec ita rara vitia,
 e. g. a pristino abortu relictæ in utero cica-

1) *F. M. Graaf* pr. *A. E. de Büchner* an den-
 tur remedia abortum simpliciter promoventia?
 Hallae 1746.

trices, ulcera modo superficialia, modo profunda et sinuosa *m*).

9. Retroversio et anteversio uteri *n*).

10. Irritatio quaevis uteri *o*), aut partium utero vicinarum, frictio scilicet pudendorum, irritatio osculi uterini, frictio abdominis *p*).

11. Coitus frequentior.

12. Sternutatio frequentissima et violenta, qualem facere solet euphorbium;

m) *Brendelii* praelect. academ. T. III. p. 220. §. 6.

n) *J. Melitsch* Abhandl. von der sogenannten Umbengung der Gebärmutter. Prag 1790. *Abr. Wall* D. de uteri gravidi retroversione. Hal. 1782. *Jahn* de retroverso utero. Jenae 1787. *Burns* anatomy of the gravid uterns. p. 16. *Hunter* anatomische Beschreib. etc. p. 13. Not.

o) *C. F. Büttner* vom Kindermorde. §. 94.

p) *Hasenest* mediz. Richt. IV. Cap. 13.

risus, tussis, clamor, saltus, vis electrica,
ponderum elevatio, stranguria, tenesmus,
alvus dura, arcti thoraculi.

13. Omnia, quae sanguinem copiosius
invitant ad uterum, ejusque vasa relaxant
e. g. semicupia, clysmata emollientia et in-
jectiones tepidae.

14. Lapsus, ictus, verbera ad abdomen,
lumbos, dorsum etc.

§. 11. *Aborticidium* (Embryoctonia, Foeticidium), testibus auctoribus medico-forensibus q) interdum malo dolo fit per instru-

g) *De la Motte* Krankheiten der Schwängern.
übers. v. S. 324. *Loders Journal* B. II. St. 4.
Fr. Hoffmanni Med. rat. syst. T. IV. p. 3.
§. 13 seq. *J. N. L.* de abortu et medicamen-
tis abortivis Uelz. 1735. *A. G. Platz* de
abortibus medicis. Lipsiae 1772. *C. W.*
Steinmetz de abortu. Jenae 1788. *K. F. M.*

mentum, cuius ope, nefandum certe et execrabile scelus, mulieres dissolutae embryonem occidunt, cum id intra ipsum uterum adigant r). Notum erat vel ipsis antiquis tale instrumentum, quod *embryosphacten* appellabant s). *Brendel* in *Ephem. Nat. Curios.* de *Ancilla* narrat quae acutum stylum ferreum intra uterum immisit, et foetum sequē ipsam, cum uterum laederet, occidit. —

Jaehkel de abortus causis ac prophylaxi.

Francf. 1795. *Hamilton* Abhandl. über die

Hebammenkunst. Aus d. Engl. Leipz. 1782.

p. 87. *Froriep* l. c.

r) *Tertullian* de anima C. 25.

s) v. *Hallers* Vorlesungen B. I. S. 148. *Pr.*

Boehmer de notabilibus quibusdam, quae

foetui in utero et partu contingere possunt, ad

illustrandum infanticidium. Hal. 1775. *G. G.*

Ploucquet de laesionibus mechanicis simula-

crisque laesionum foetui in utero contento

accidentibus ad illustrandas causas infanticidii.

Tubing. 1794.

Schurigius u) narrat, infantem in utero matris existentem fulmine fuisse occisum. Quid, si nefasta manus fulmine artificiali uteretur, igne videlicet electrico, cujus ictus matrem haud laederet, attamen infantem necaret.

Ancillae rusticanae, uti dicunt, venam in pede secant, ut sanguinem ad uterum invitent, atque abortum promoveant: sed de hac specie derivationis dubitatur. Certius compressio arteriarum cruralium, ut sic minus sanguinis feratur ad extremos pedes, et plus ad vasa uteri vicina (quam methodum menses restituendi *Cel. Hamilton* in observationibus Edinburgensibus descripsit) abortum procurare potest.

u) Embryologia p. 133.

t) De crimine abortus cf. *G. Q. Paecckel* de crimine abortus abacti Lips. 1684. Hal. 1734. 1749. *S. S. Liebezeit* pr. *M. Alberti* de abortus noxia et nefanda promotione. Hal.

§. 12. *(u uigilant)*
 Signa facti abortus ex parte mulieris eadem fere sunt, quae mulierem partum naturalem enixam fuisse testantur; in foetu vero haec ex ejusdem magnitudine, partiumque perfectione desumuntur, abortus per consequens primis graviditatis mensibus procurati signa cognitu admodum sunt difficilia, si non omnino impossibilia, haec enim certa tantum a mole foetus, retentione diuturniori mensium pendent, quae si notabilia non fuerint, nec signa manifesta erunt v).

1711. *J. C. Muth* pr. *M. Alberti* de abortus violenti modis et signis. Hal. 1730. *T.*

Spalding pr. *J. H. Boehmer* de caede infantum in utero. Hal. 1752. *C. F. Liebekühn*

de procurati abortus crimine ad articulum C. C. C. 133. Hal. 1772. *Amman* Prax. vuln.

lethal. Dec. V. Hist. V. *Büttner* vom Kindermorde. §. 90. seq.

v) *P. Pasquay* de signis et partu foetus mortui.

L. B. 1745.

Interim magnam probabilitatem abortus procurati studio dataque opera testantur sequentia:

1. Insolita laxitas et rugositas abdominis.

2. Largior sanguinis profusio ex utero *w*) quae etiam diutius quam mensium aut lochiorum fluxus ordinarius durat *x*).

3. Conjuncta foetida exspiratio ex utero, qualis puerperio familiaris est.

4. Pudendorum suspecta intumescencia.

5. Color faciei valde mutatus et morbosus.

6. Dolor eximius in abdomine et distincta virium labefactio.

w) Mauriceau I. c. n. 139.

x) Alberti jurisprud. medic. T. I. p. 135. §. VI.

7. Insignis amplitudo et extensio vaginae uteri.

8. Si foetus recentior fuerit, mammae redduntur pendulae et laxae; si grandior lac in mammis 2) aut intumescencia mammarum eminentior reperitur.

9. Accedit inopinata detumescencia abdominis post suspectam praeviam inflationem, ubi aequae providae inspectio suspectarum foeminarum requiritur, licet clanculum pepererint, ac si foeminae perfectum partum ediderint: et cum abortus magis molestet, quam partus a), etiam haec circumstantia pensitanda erit b).

2) Aphor. Hippocr. Sect. V.

a) Zachiae Qu. med. leg. Tit. 4. Qm. 1. n. 17.

b) Alberti l. c. 1. ubi dicitur: (a)

§. 14.
 Nullum in genere abortum neglectui habendum esse, jam monuit *Illust. Brendelius c)*; isque eo magis periculosus est, si foetus jam est adultior, mortuus, male positus, si ex parte computruit, si mola simul, si febris acuta supervenit, si mulier primipara, si animi deliquia, convulsiones praesto, si foemina sensibilior, affectibus animi patens, hysterica.

Quae semel abortum fecit foemina, eodem plerumque mense iterum abortit, saepe etiam tertium quartumque: unus abortus, experientia duce, fere semper trahit alterum; tanto magis autem atque certius secundum tertium et sic porro, subsequitur. Omnem post abortum praecavenda sunt, febris quaedam lenta, cachexia, sterilitas, ad dies vitae malum hystericum, varia molarum generatio, uteri exulcerationes, excrescentiae

c) L. c. p. 220. §. 7.

fungosae, carcinomata, uteri prolapsus, fluori albus, scirrhus, urinae incontinentia, leucophlegmātia, haemorrhagia uteri.

Abortus certe nimis veraci ut plurimum praesagio praedici potest illis junioribus, primiparis imprimis, quae evidente plethora affectae, insuper vitae genus jam corporis, jam animi commotionibus importunioribus expositum, degunt. Imprimis autem si alioquin largiores mensium excretiones experiri consueverint, ac diaetae vinosae aut aromaticae, minus antea solitae, admoveantur.


Sic feminae praegnanti prioribus mensibus, praesertim menstruo tempore, eruptiones sanguinis vehementes contingunt, quae placidis adstringentibus atque roborantibus nihil auscultent, feminam potius gravissime exhauriant, imo in syncopem et praesentio rem vitae periclitationem conjiciant, ita quidem, ut in tali constitutione nulla alia formari possit prognosis, quam


rebus ita constitutis, abortum instantem evitari nequitiam posse: Ideoque si ejus promotio periculo vitae maternae avertendo inservire possit, illa quidem jure meritoque institui debet d).


- d) *L. G. Kleini* interpres clinicus. Edit. *Halleri*. Fref. et Lips. 1755. p. 3. 4. *J. O. Schacht* Institut. medic. Traj. ad Rhen. 1765. p. 373. *J. de Gorter* praxis medicae systema. T. II. Fref. 1755. p. 177 seq. *Brendel* l. c. *Fr. Hoffmann* l. c. p. 536. §. XXII. *Bernstein* l. c.


rebus illa constituta, abortum instantem
evitari neutiquam posset. Idemque si quis
promotio periculo vitæ materiam avertebat
inservire posset. Illa quidem pars tactilique
sancti debet.

b) K. G. Kleinfeldt in: *Archiv für Klinische Medizin*,
1871, Bd. 1, p. 31. J. O.
Kleinfeldt in: *Archiv für Klinische Medizin*,
p. 313. J. de Gorter in: *Archiv für Klinische Medizin*,
T. II, Fasc. 185, p. 177 seq. Brandel,
Dr. Hoffmann, J. et p. 313. J. O. Kleinfeldt
et al.









2. *Immaturum foetum* esse confirmari si tota cutis rubet vel livida est, pili destituitur; si ipse foetus, proportione tris, justo minor (infra quatuordecim pedes), fontanella vero justo major est; natus lentus, rugosus, senili facie; membra annuata, macra, aures diaphanae et livida praerubra; ungues breves, vix lineam longum extremum articulum non penitus tegetes purpurascens; os majus, minus prominens, non occlusum; palpebrae arctius connivent, quasi conglutinantur. Immaturus foetus dormit perpetuo ferme, nullum nisi per se scurum vagitum edit; extrema frigiditas vim vitae admodum debilem, nec minimam frigidioris aeris contactum impune praeterea immaturus masculus, testis non habet, vel in abdomine adhuc reconditi vel haerentes in inguine, maturus vero in scroto, rarius in abdomine aut inguinibus.

l) *Hilscher* partus praecocis et abortus the

